

DE SECTA ILLORUM

QUI SE DICUNT ESSE DE ORDINE APOSTOLORUM

DI

BERNARDO GUI

ABBREVIAZIONI

A. = Codice della Biblioteca ambrosiana segnato H. 129 inf.

D. = *Practica inquisitionis heretice pravitatis auctore B. Guidonis* par C. DOUAIS, Paris, 1886.

DE SECTA ILLORUM QUI SE DICUNT ESSE DE ORDINE APOSTOLORUM ET ASSERUNT SE TENERE VITAM APOSTOLICAM ET EVANGELICAM PAUPERTATEM, QUANDO ET QUOMODO INCEPERIT ET QUI FUERINT INVENTORES EIUS, ET DE ERRORIBUS DICTE SECTE, UT SCIANT PRESENTES PARITER ET FUTURI, CONSCRIPTA SUNT QUE SECUNTUR.

MUR., 447

5 **A**B anno itaque Domini MCCLX citra fuit quidam Geraldus Segarelli nomine de Parma in Lombardia, qui malo suo et plurium aliorum emersit. Hic sub quadam similitudine perfectionis vite adinvenit quemdam novum vivendi modum et penitentie simulate, et suis pravis adinventionibus et privatis confabulationibus nonnullos sibi attraxit discipulos et sequaces, faciendo occulta conventicula cum eisdem paulatim
10 et latenter infundens virus pestiferum, dogmatizans contra communem statum sancte romane ecclesie tam prelatorum ac totius cleri quam religiosorum et omnium ordinum ac etiam laycorum, sicut magis sequentia declarabunt. Novam doctrinam inferens suis auditoribus sub quadam picta et fucata ymagine sanctitatis, ostentans se velle tenere et sequi viam et vitam apostolorum et sicut fecerunt ipsi apostoli penitentiam predicare et docere populis viam novam,
15 non attendens quod semite antique tutiores sunt et salubres: unde suos discipulos et sequaces *Apostolos* nominavit et sic eos voluit appellari, qui viverent sub nullius obedientia nisi solius dei, sicut primi apostoli domini Ihesu Christi; sectamque illam perniciosam sua non tam auctoritate, que nulla erat, quam temeritate, quam magnam habuit, instituit Apostolorum ordinem nominari, qui per mundum discurrerent sicut pauperes mendicantes et de elemosinis viventes,
20 et predicarent populis ubique: *Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum*, et quedam alia similia, que prima facie bona auditoribus maxime simplicibus videbantur. Errores autem quamplures adinvenit de corde suo quos suis sequacibus non palam et publice, set occulte tenendos tradidit et docendos. Et sic ab initio cum mantello albo ad collum per modum peralba elevato cum tunica alba et longis crinibus, quorum plures in tali habitu ego vidi,
25 sub quodam habitu palliato, aliquando utentes soleis, aliquando nudis pedibus incedebant, a communi conversatione fidelium et vita et moribus dissidentes, vitam perfectam et apostolicam in se ipsis exterius tali habitu tali gestu et doctrinam evangelicam' auditoribus tali ritu populis simulabant.

MUR., 448

Erat tamen revera vita ipsorum infecta interius et exterius abhominabiliter impudica et
30 doctrina in suis occultis conventiculis tam heretica quam insana. Unde ab initio sub tali re-

7. vite] manca in A. — 9. occulta] manca in A. — 13. ostentans] cod. A. ostendens — 21. auditoribus] cod. A. audientibus — 24. alba... vidi] manca in A. — 26. et] manca in D.

ligionis pallio fuit occultata pestis ipsorum magna ex parte, quia non fuit qui talibus lupis sub vestimentis ovium venientibus se opponeret ex adverso, ceperunt simplices falsam sanctitatis ipsorum ymaginem venerari eisque favere necnon eos elemosinis refovere; et sic multiplicati sunt supra numerum: annis circiter xx profecerunt in peius; nec tamen diutius latere sic potuit ipsorum dogma pestiferum quin apud catholicos crepuerit et innotuerit paulative, fueruntque a nonnullis suspecti habiti de heresi et notati. Cumque post annos circiter xx pervenisset ad aures domini Honorii pape III rumor malus secte illius, quam ipsi ordinem Apostolorum appellabant, eandem dampnavit tanquam perniciosam et eius habitum pariter condempnavit, sicut in eius apostolicis litteris continetur, quas ad universos prelatos ecclesie super hoc destinavit tenorem eius continentem. 5 10

Concilium Lugdunense fuit celebratum anno Domini MCCLXXIII; concilium istud Lateranense fuit celebratum anno Domini MCCXVI in kalendis novembris ab Innocentio papa III.

“ *Honorius episcopus servus servorum Dei*, venerabilibus fratribus universis patriarchis
 “ archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis cathedralium ecclesiarum electis et vicariis eorundem, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Olim felicis recordationis Gregorius papa X predecessor noster in concilio Lugdunensi omnes religiones et ordines mendicantes adinventos post generale Lateranense concilium, qui nullam confirmationem sedis apostolice meruerunt, perpetue prohibitioni subiecit et quatenus processerant revocavit. Verum sicut ad nostri apostolatus auditum fama querula deferente pervenit, quidam qui, post generale et ante Lugdunense predicta concilia, sub nomine ordinis Apostolorum habitum non vere religionis assumpserant, quamquam nullam aliquando confirmationem sedis apostolice meruissent, prohibitionis et revocationis predictae temerarii presumptores eundem habitum seu ei consimilem sub eodem nomine usque hodie deferentes quam plures etiam alii, assumpto post dictum Lugdunense concilium huiusmodi habitu, per diversas mundi partes mendicando discurrere non verentur, facientes ea que non faciunt (*sic*), conveniunt in animarum suarum periculum et grave scandalum plurimorum, presertim cum nonnulli pravitate heretice vicio laborantes sub huiusmodi habitu asserantur inventi; nos igitur volentes talium prevaricatorum insolentem audaciam refrenari et predictam non tam religionem quam perniciosam sectam penitus aboleri, ne forte fidelium simplices falsa sanctitatis eorum ymagine seducantur, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus quoscumque de predictis in vestris civitatibus et dyocesis inveniri contigerit, eos ad deponendum huiusmodi habitum, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis; monentes eosdem ut, si religiosam vitam ducere cupiunt, ad aliquam se transferant de religionibus approbatis. Quod si aliqui eorum censuram predictam contempserint, vos contra ipsos ad penam carceris seu aliam, prout expedire videritis, procedatis, invocato adversos eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Ceterum, ut predicti eo facilius a sua insolentia compescantur quo magis a Christi fidelibus abici se viderint et contemni, volumus nichilominus quod huiusmodi processum vestrum vestrarum civitatum et dyocesum populis iteratis vicibus publicantes ac facientes per aliquos publicari, eosdem populos auctoritate vestra moneatis et inducatis attente ne aliquem de predictis prefatum deferentibus habitum recipere presumant hospitio vel eis aliquas elemosinas largiantur, nec ad defferendum habitum ipsum seu ei consimilem impendant consilium auxiliium vel favorem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam v ydus marcii, pontificatus nostri anno primo, sub anno dominice incarnationis MCCLXXXV „.

Ad instar quoque domini Honorii pape III Nicholaus papa III universis ecclesiarum prelatibus consimiles litteras destinavit, sub anno Domini MCC nonagesimo, pontificatus anno III.

2. venientibus] *ed. D.* Invenientibus — 4. sunt supra] *cod. A.* super — 10. eius] *cod. A.* huiusmodi — 11-12. Concilium... III] *manca in A.* — 18. meruerunt] *cod. A.* habuerunt — 21. aliquando] *cod. A.* ante — 25-26. faciunt] *manca in A.* — 27. modi] *manca in D.* — 32. modi] *manca in D.* — 35. ad] *cod. A.* et - penam] *cod. A.* pena - aliam] *cod. A.* alia — 38. modi] *manca in D.* — 43. pontificatus... primo] *manca in A.* — 45-46. Ad... III] *manca in A.*

Post predictas vero litteras apostolicas dicta secta perniosa cepit deici paulatim et a fidelibus evitari. Verumptamen, quia longe lateque in diversis mundi partibus se diffuderat, non potuit tempore prefati domini Honorii pape ac Nicholay pape IIII totaliter extirpari; cum propter favorem simplicium quem sibi acquisiverant, tum etiam propter incuriam circa hoc prelatorum; et quia non fuit eradicans manus germinantes, filii Belyal multiplicati sunt et creverunt, prefato Gerardo, ipsorum capite, heresiarcha et iniquo duce, adhuc tunc superstite et vivente. Cumque magis ac magis ipsorum error et heresis successivis temporibus panderetur, ceperunt inquisitores heretice pravitate auctoritate sedis apostolice in partibus Italie inquirere et procedere contra eos. Prefatus tamen Gerardus perduravit usque ad tempus Bonifacii pape VIII, plures habens discipulos erroris sui pariter et magistros, tandemque post XL fere annos a primo sui initio computando, prefatus Gerardus studio et sollicitudine inquisitorum de ordine Predicatorum in partibus Lombardie deprehensus est in heresi' et tanquam hereticum condempnatus pariter et combustus, tempore domini pape Bonifacii memorati. Lata fuit sententia contra eum per fratrem Matfredum de Parma, de ordine Predicatorum, inquisitorem, in palatio episcopi parmensis, xviii die mensis julii, anno Domini MCCC primo. Multi quoque de secta sua fuerunt deprehensi, quorum nonnulli conversi fuerunt confitentes errores dicte secte et eandem in iudicio abiurantes, et pro hiis in quibus commiserant penitentiam susceperunt. Alii vero puniti fuerunt prout eorum demerita exigebant. Quamplures autem aufugerunt et alii latuerunt, alii vero se ad partes alias transtulerunt.

MUR., 450

Exterminato autem de medio et cremato prefato Gerardo heresiarcha, Dulcinus Novariensis dyocesis, spurius filius sacerdotis, unus ex discipulis prefati Gerardi, successit eidem in magisterio erroris et pravi dogmatis, factusque est caput et vexillifer tocius secte illius et congregationis, non quidem, ut fallaciter dicunt, apostolice, set revera apostatice, erroresque erroribus adduxit et adauxit, sicut magis inferius apparebit, ubi errores talium sub quodam compendio sunt collecti, ut detecti melius valeant a fidelibus evitari; dictusque Dulcinus multa milia hominum utriusque sexus, maxime in partibus Italie et Tuscie ac aliis circumvicinis regionibus, longe lateque in secta sua et heresi adunavit, quibus doctrinam tradidit pestiferam et spiritu, non tam prophetico quam phanatico et insano, multa futura predixit, asserens et confingens se habere revelationem a deo et spiritum intelligencie prophetarum, in quibus omnibus inventus est falsus et mendax et deceptorius, et deceptus, cum sua Margarita malefica et heretica consorte in scelere et errore, sicut magis sequentia declarabunt.

Scriptis autem prefatus Dulcinus epistolas tres quas intitulavit generaliter ad universos Christi fideles et specialiter ad suos sequaces; in ipsis epistolis suis de scripturis sanctis copiose delirans et simulans in exordio litterarum suarum veram fidem romane ecclesie se tenere, cuius perfidiam consequenter pandit series earumdem: ex quarum duarum tenore quas tenui, excerpando collegi sub compendio que secuntur, pretermittis aliis brevitatis causa que ad rem minime facere videbantur. Quarum una data seu conscripta fuit anno Domini MCCC, in mense augusti, in qua ipse Dulcinus in principio asserit illam suam congregationem spiritualem esse et propriam in proprio modo vivendi apostolico et proprio nomine cum pau-

1. paulatim] *ed. D.* paulative — 3. ac... IIII] *manca in A.* — 11. XL] *cod. A.* quinquaginta — 12-19. et tanquam... transtulerunt] *cod. A.* quam in manibus plurium inquisitorum abiuravit, et tandem per fratrem Matfredum de Parma ordinis Predicatorum inquisitorem heretice pravitate repertus est per ipsius Gerardi confessionem claram factam iudicialiter coram ipso inquisitore recidisse in heresim abiuratam, quo habito dictus inquisitor de solemnibus consilio multorum sapientium utriusque juris et quamplurium religiosorum et clericorum unanimi et concordi sententialiter tradidit dictum Gerardum apud Parmam brachio seculari tanquam hereticum relapsum. Et ibidem fuit datus flammis et combustus. Et multos utriusque sexus, quos dictus Gerardus habebat discipulos et credentes et vite sue abominabilis et perfide sectatores, dictus inquisitor caute et sollicito inquirendo et puniendo diversis penis ac procedendo contra eos acute et indefesse illam diabolicam sinagogam de dicta civitate et districtu potenter exterminando fugavit cum honore dei et exterminio predictae labis — 22. tocius] *manca in A.* — 23. quidem... apostatice] *cod. A.* tam apostolice quam diabolice — 24. adduxit et adauxit] *cod. A.* addidit et adiunxit — 31. malefica] *cod. A.* maledica — 34. veram] *manca in D.* — 37. conscripta] *cod. A.* scripta

MUR., 451

pertate propria, et sine vinculo obedientie exterioris, set cum interiori tantum. Quam congregationem asserit in istis diebus novissimis a deo pro salute animarum specialiter esse missam et electam, et illum qui preest super istam congregationem videlicet se ipsum, quem vocant fratrem Dulcinum, a deo specialiter esse missum et electum cum revelationibus factis sibi de presentibus et futuris, que super bonos et super malos asserit in proximo evenire, ad aperiendum prophetias et intelligentiam' scripturarum novi et veteris Testamenti in temporibus istis novissimis. Item, adversarios suos et ministros dyaboli asserit esse clericos seculares cum multis de populo et potentibus et tyrannis, et omnes religiosos, specialiter Predicatorum et Minorum et etiam aliorum qui ipsum Dulcinum et suos persequebantur quia dictam sectam, quam vocat congregationem spiritualem et apostolicam, tenebant: et hac de causa dicit se Dulcinus fugere et latere a facie persequentium, sicut fecerunt sui antecessores dicte congregationis, usque ad tempus prefinitum, in quo ipse et sui, ut dicit, publice apparebunt et publice predicabunt omnibus, suis adversariis exterminatis. Item, dicit quod omnes persecutores sui predicti cum prelati ecclesie erant in brevi occidendi et consumendi, et qui ex eis essent residui converterentur ad sectam suam et unirentur ei, et tunc ipse et sui in omnibus prevalerent. Item, distinguit IIII status sanctorum fuisse in propriis modis vivendi: in primo fuerunt patres veteris Testamenti sive patriarche et prophete, et alii viri iusti usque ad adventum Christi, in quo statu laudat bonum fuisse matrimonium causa multiplicandi genus humanum, et quia in fine posteriores declinaverunt a statu spirituali et bono priorum, ideo venit Christus ad sanandum infirmitatem illorum cum apostolis et discipulis suis et ymitatoribus ipsorum; et ipse fuit secundus status sanctorum in alio proprio modo vivendi qui fuerunt sicut medicina perfecta infirmitatis prioris populi, et ostenderunt veram fidem per miracula, et humilitatem, et patientiam, et paupertatem, et castitatem, et alia bona exempla vite contra omnia illa a quibus declinaverant illi qui erant de priori statu; et in isto secundo statu melior fuit virginitas et castitas quam matrimonium, item paupertas quam divicie et sine proprio vivere quam terrenas possessiones habere; et duravit iste status usque ad tempus beati Silvestri pape et Constantini imperatoris; et tunc posteriores iam declinaverant a perfectione priorum. Tertius status cepit a sancto Silvestro tempore Constantini imperatoris, in quo gentiles et alii ceperunt magis ac magis verti ad fidem Christi generaliter, et dum sic convertebantur et non refrigerabantur in amore dei et proximi, melius fuit sancto Silvestro pape et aliis successoribus suis possessiones terrenas et divicias suscipere et habere quam paupertas apostolica, et melius fuit regere populum quam non regere ad tenendum ipsum sic et conservandum. Set quando inceperunt populi refrigerari a caritate dei et proximi et declinare a modo vivendi sancti Silvestri, tunc melior fuit modus vivendi beati Benedicti quam aliquis alius, quia in terrenis fuit strictior et a dominio temporali magis separatus; et tamen ita bonus erat tunc, ut dicit, modus bonorum clericorum qui tunc erant sicut monachorum, nisi quod modus clericorum bonorum secundum maiorem partem numeri eorum erat in diminuendo et monachorum erat in multiplicando; et quando clerici et monachi quasi ex toto a caritate dei et proximi refrigerati fuerunt et declinaverunt a priori statu suo, tunc melior fuit modus vivendi sancti Francisci et sancti Dominici et magis stricti in possidendo res terrenas et in dominio temporali magis quam modus vivendi beati Benedicti et monachorum; et quia modo est tempus in quo omnes tam prelati quam clerici et religiosi a caritate dei et proximi' refrigerati sunt et declinaverunt a statu predecessorum suorum, melius fuit et est reformare modum vivendi proprium apostolicum quam aliquem alium modum vivendi tenere; et istum modum vivendi apostolicum asserit missum esse a deo in istis temporibus novissimis; et istum modum vivendi apostolicum incepit frater Gerardus Segarelli parmensis a deo

MUR., 452

9. Minorum] *nel cod. A. segue* Ordinum — 10. congregationem] *manca in A.* — 17. sive] *cod. A. scilicet* — 18. laudat] *cod. A. laudabat* - matrimonium causa] *cod. A. numerum cum* — 26. terrenas] *manca in A.* — 29. verti] *cod. A. converti* — 43. a statu] *cod. A. status* — 46. Segarelli] *manca in A.*

dilectissimus, et durabit et perseverabit usque ad finem mundi et fructificabit usque ad diem iudicii; et iste est quartus status et ultimus in proprio modo vivendi apostolico et differt a modo vivendi sancti Francisci et sancti Dominici, quia vita illorum fuit multas habere domos et illuc mendicata deferre, set nos, ait Dulcinus, nec domos habemus, nec etiam mendicata
5 portare debemus, et propter hoc vita nostra maior est et ultima omnibus medicina. Item, dicit quod a Christo usque ad finem mundi ecclesia debebat facere IIII mutationes. In primo debebat esse sicut et fuit, bona et virgo et casta et persecutiones passa et hec fuit usque ad beatum Silvestrum papam et Constantinum imperatorem. In secundo debebat esse sicut et fuit, dives et honorata, ipsa permanente in bonitate et castitate, et hec fuit quamdiu clerici
10 et monachi et omnes religiosi perseveraverunt in suis modis vivendi secundum exempla sanctorum Silvestri, Benedicti, Dominici et Francisci. In tertio debebat esse, sicut et est vere, maliciosa, dives et honorata; et hec est modo, ait Dulcinus, tempore quo predicta scripsit, et durabit donec ipsi clerici, monachi et omnes religiosi sint morte crudelissima interempti, quod in sequentibus eiusdem epistole asserit esse futurum in brevi, videlicet infra tres annos
15 a tempore quo predicta scripsit. In quarto debebat esse sicut et iam esse incepit, bona et pauper et persecutiones passa in proprio modo vivendi apostolico reformata; et ista quarta mutatio fuit incepta per fratrem Gerardum parmensem quem dicit a deo esse delectissimum, et perseverabit perfecta et durabit et fructificabit usque ad finem mundi. Et ad quatuor predictas mutationes confirmandas adducit verba prophetie Ysaie in fine libri ubi scribitur:
20 *Lauda, sterilis, que non paris*, etc., usque ad illum locum: *non est pax impiis, dicit Dominus* [ISA., LIV, LV, LVI, LVII]. Et ita asserit se etiam credere et tenere. Item, dicit quod persecutores ipsius Dulcini et suorum occiderunt predictum fratrem Gerardum parmensem inceptorem istius vite novissime reformate, et rectorem alium, scilicet se ipsum Dulcinum, missum a deo super congregationem predictam cum intelligentia ad aperiendum prophetias,
25 persecuntur cum suis; et in multis consequentes iustificat se et suos et condemnat omnes alios. Item, post modum predicat futura, asserens quod nisi eveniant illa que predicat, que asserit revelata esse sibi a deo quod, ipse et sui reputentur mendaces, et alii qui ipsum et alios persecuntur reputentur veraces, et etiam e contra. Item, circa medium epistole sue usque ad finem prosequitur de futuris infra proxime venturum tunc triennium adimplendis,
30 dicens quod omnes prelati ecclesie et ceteri clerici a maiori usque ad minorem, et omnes monachi et monache, et religiosi et religiose, et omnes fratres et sorores ordinum Predicatorum et Minorum et Heremitarum qui, ut ipse dicit, iam sunt declinati a modis vivendi predecessorum' suorum, qui sunt tertia mutatio ecclesie que superius est descripta, de quibus subdit ibidem plurima mala, necnon Bonifacius papa VIII qui tunc preerat romane Sedi de
35 quo similiter ibidem plurima mala subdit, adduces ad predicta et interpretans secundum suum pravum intellectum multa de scripturis prophetarum et veteris ac novi Testamenti, omnes, inquam, supradicti divino gladio exterminabuntur ab imperatore relevato et a regibus novis factis per ipsum imperatorem relevatum, et occidentur et consumentur per universam terram. Imperatorem vero relevatum, exponit et asserit ibidem esse Fredericum regem tunc Sicilie,
40 filium quondam Petri regis Aragonum. Qui Fredericus debet relevari in imperatorem et facere reges novos et Bonifacium papam pugnando habere et facere occidi cum aliis occidendis; et ad confirmandum predicta adducit multa de scriptis veteris et novi Testamenti interpretando et exponendo de corde suo intellectu perverso; et dicit quod tunc omnes christiani erunt positi in pace et tunc erit unus papa sanctus a deo missus mirabiliter et electus,
45 et non a cardinalibus, qui tunc omnes cardinales erunt occisi cum aliis, et sub illo papa erunt

MUR., 453

1. mundi] *cod. A. seculi* — 6. IIII] *cod. A. multas* — 15. incepit] *cod. A. incipit* — 16. et] *manca in A.* — 17. esse] *manca in A.* — 18. et durabit] *manca in D.* — 19. in] *in D. precede et - ubi] cod. A. videlicet* — 21. etiam] *manca in A.* — 25. persecuntur] *cod. A. personis - in] manca in A.* — 27. ipse] *in A. precede et* — 28. reputentur] *manca in A. - contra] cod. A. converso* — 39. vero] *manca in A.*

illi qui sunt de statu suo apostolico et etiam aliis de clericis et religiosis qui unientur eis, qui divino auxilio a predicto gladio fuerint liberati, et tunc accipient Spiritus Sancti gratiam sicut acceperunt apostoli in ecclesia primitiva, et deinde fructificabunt in aliis usque ad finem mundi. Et predictus Fredericus rex Sicilie, filius Petri regis Aragonum, imperator relevatus, et ille papa sanctus post Bonifacium occisum per imperatorem, et reges illi novi facti per imperatorem relevatum permanebunt usque ad Anti-Christum qui in diebus illis apparebit et regnabit. Et ad confirmandum predicta ibidem adducit multa de scripturis tam prophetarum quam veteris et novi Testamenti, explanando et aplicando secundum intellectum suum alienum a veritate et a communi expositione sanctorum et doctorum; et subdit ibidem quod frater Gerardus parmensis predictus qui fuit occisus fuit primus inceptor predicte congregationis novissime quam vocat apostolicam, et ipse frater Dulcinus, novariensis dyocesis, est secundus rector dicte congregationis que durabit et fructificabit usque ad finem mundi; et ad confirmandum predicta adducit prophetias et scripturas veteris et novi Testamenti, pluries exponendo eas secundum suum pravum intellectum. Item, circa finem epistole sue predicte exponit de VII primis angelis cum ecclesiis suis qui scribuntur in Apocalipsi, dicens quod angelus Ephesi fuit beatus Benedictus et congregatio monachorum fuit sua ecclesia. Item, angelus Pergami fuit beatus Silvester papa et clerici fuerunt sua ecclesia. Item, angelus Sardis fuit beatus Franciscus et fratres Minores fuerunt sua ecclesia. Item, angelus Laodicie fuit beatus Dominicus et fratres Predicatores fuerunt sua ecclesia. Item, angelus Smirne fuit frater Gerardus Parmensis qui a supradictis fuit occisus. Item, angelus Tyatire est ipse frater Dulcinus dyocesis novariensis. Item, angelus Phyladelphie erit predictus papa sanctus, et iste tres ecclesie ultime sunt ista congregatio apostolica in istis diebus novissimis missa.

MUR., 454 Quod, sicut ibidem subdit, per tria bona et per tria officia suorum rectorum nominatur in tribus ecclesiis; per primum bonum primi rectoris officium incipitur et multiplicatur; per secundum bonum secundi rectoris officium sublevatur, renovatur et multiplicatur; et per tertium tertii [rectoris] officium per universum mundum spargetur et predicabitur et fructificabit; et Fredericus imperator relevatus regnabit et imperabit per universum mundum magis quam fecerit aliquis imperator, et durabit usque ad tempus Anti-Christi, de quo Anti-Christo, quando venturus sit, manifeste cognoscere se asserit ibidem. Hec omnia excerpta sunt de prima epistola prefati Dulcini, que ab ipso fuit compilata et conficta in mense augusti anno Domini MCCC, sicut in fine eiusdem scribitur.

Ex secunda vero epistola eiusdem Dulcini, que facta fuit et missa anno Domini MCCCIII in mense decembri, excerpta sunt que secuntur. In primis nominat se ipsum fratrem Dulcinum novariensem rectorem super omnes dicte congregationis apostolice. Item, sororem Margaritam pre ceteris sibi dilectissimam et fratrem Longinum de Pergamo et fratrem Fredericum de Novaria et fratrem Albertum Carentinum et fratrem Valdericum de Brixia discipulos; et ipsi et multi alii viri et mulieres plus quam centum consimiles supradictis et alia multitudo fratrum et sororum eiusdem congregationis in Ytalia plus quam III milia, omnes invicem sine vinculo exterioris obedientie sed interiori tantum subiecti et uniti; omnibus ad quos presentes littere pervenerint salutem. Item, paulo post subdit quod de novitatibus factis et fiendis sub brevitate innotescit: in primis dicens, quod in istis diebus nostris, scilicet sub anno illo quo predictam epistolam scripsit seu misit, sub anno Domini MCCCIII, quatuor pape sunt scripti, duo boni, scilicet primus et novissimus, et duo mali scilicet secundus et tertius. Primum papam exponit et dicit esse Celestinum qui cessit papatum, de quo exponit prophetiam Ysaie ubi dicitur: *Onus deserti maris* [xxi, 1] ubi habetur de *ascensione asini* [xxi, 7] et in Abdia propheta de fratre Iacob, et in Apocalipsi de angelo Pergami de servo Antiphiri. Secundum vero papam exponit et dicit esse Bonifacium octavum qui successit Cele-

3. deinde] *cod. A.* inde — 7. ibidem] *manca in A.* — 17-18. Item.... ecclesia] *manca in D.* — 20. supradictis] *in A. segue pessimis* — 35. et.... Pergamo] *manca in D.* — 36. Carentinum] *cod. A.* Tarentinum — 43. scripti] *cod. A.* descripti

stino; et illo anno quo predicta littera Dulcini fuit scripta Bonifacius fuerat captus in mense septembri et obiit sequenti mense octobri; de quo exponit quod scribitur in Ysaia propheta de *ascensione cameli* [XXI, 7] et proposito templi qui fecit sibi fieri monumentum, et ymaginem supra petram sicut esse viva; et in Abdia propheta de legato Esau, et in Zacharia propheta, quasi in medio libri, de pastore stulto qui habebat brachium et oculum dextrum, et exponit esse brachium et oculum eius Karolum primum regem Sicilie et Karolum secundum filium eiusdem regis qui pro papa contra Fredericum pugnaverunt. Tertium vero papam dicit esse successorem Bonifacii quem non nominat nomine proprio, set de ipso exponit quod dicitur in Ieremia propheta de Esau legato et infra de Babilone magna ubi dicitur: *Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis*, etc. [XLIX, 19], et infra: *Quis erit electus* primo post mortem Bonifacii de novo factus, etc. que secuntur. Et exponit leonem esse Fredericum regem Sicilie quem dicit venturum anno proximo tunc venturo MCCCIII super maliciosum papam novum et super cardinales secum ad consumendum secum totam romanam malitiosam curiam quam finaliter consumet. De isto etiam papa exponit quod dicitur in Ezechiele propheta: *Finis venit, venit finis super quatuor plagas terre*, etc. [VII, 2]. Quartum vero papam non nominat nomine proprio quem asserit esse sanctum, et exponit de ipso quod dicitur in Ysaia propheta, de cremato paxillo, et in Abdia dicitur in fine: *In monte Syon erit salvatio* [17]: in ecclesia erit unus papa sanctus qui tunc regnabit; et in Ezechiele propheta dicitur circa finem libri, de pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, etc.; et ibi dicitur de montibus Israel quantas tribulationes debent pati pro deo, et montes exponit et dicit esse se ipsum et suos; et ipse papa quartus sanctus erit, de quo dicitur in Apocalipsi de angelo Phyladelphye; nec eligetur a cardinalibus, quia a Frederico ipsi cardinales cum tercio papa novo capite eorum erunt consumpmati, set, Frederico imperante et regnante, eligetur a deo; et tunc ipse Dulcinus et sui de congregatione apostolica erunt liberati ubique et omnes spirituales qui sunt in omnibus ordinibus aliis tunc unientur predicte congregationi apostolice et recipient gratiam Spiritus Sancti et sic renovabitur ecclesia; et tunc, destructis maliciosis predictis, ipsi regnabunt et fructificabunt usque ad finem mundi; et in *tribus annis mercenariis*, de quibus annis dicitur in Ysaia propheta, debent consumpmari illi mali et mali tonsi de quibus supra dixit; qui anni debent intelligi et accepi sic: primus annus illorum trium fuit MCCCIII, in quo facta est desolatio super regem Austri et super Bonifacium papam; secundus annus est MCCCIII, in quo desolatio cardinalium cum suo novo capite fiet; tercius annus illorum trium est MCCCIV, in quo circumquaque fiet desolatio omnium clericorum, monachorum et monacharum et religiosorum aliorum et Minorum et Predicatorum et Heremitarum, qui in malicia usque illuc de malo in peius perdurabunt; et hec omnia fient per Fredericum imperatorem Romanorum in illis duobus annis, scilicet MCCCIII et MCCCIV; et de predictis quod ita eveniant dictus Dulcinus asserit se habere a deo certissimam revelationem; et usque ad illud tempus dicit se latere propter persecutionem sui et suorum; set tunc venient in publicum et publice apparebunt. Explicit excerptio de epistolis seu in litteris Dulcini.

Premissa et multa alia non tam vana et fabulosa quam erronea et insana in predictis litteris Dulcini continentur; et hec excerpta descripsi, ut pateat presentibus et futuris eorum falsitas errorque et insania, sicut experientia iam lapsi temporis luce clarius declaravit, quia hoc anno quo hec scripsi, scilicet in kalendis maii anno Domini MCCCXVI, iam decem anni elapsi sunt quod illa tempora de quibus dixerat transierunt, et que futura in ipsis predixerat minime evenerunt; et expositio ac interpretatio et applicatio scripturarum sanctarum quam ipse fecit in suis litteris omnino falsa est et insana, et a vera et communi sententia et expositione sanctorum et doctorum ecclesie penitus aliena; et sic prefatus Dulcinus non tam falsus propheta, non quidem dei set dyaboli, quam heresiarcha dementatus, quamplures alios dementavit ac docuit sicut magister erroris hereses et errores.

14. Ezechiele] *i* codici erroneamente leggono Zacharia — 18. in] *in A. precede idest* — 28. annis] *manca in A. - mali tonsi] ed. D. malitiose* — 38. seu.... litteris] *manca in A.* — 42. scilicet] *manca in A.*

Nunc igitur de suis erroribus et predicti Gerardi magistri sui et sequacium eorundem consequenter videndum est, ut catholicis pateant quos errores ipsi occultant, ut cautius detecti et cogniti evitentur, et predicta congregatio, non quidem apostolica set revera apostatica et heretica, ubique credentium de finibus penitus extirpetur.

Isti qui secuntur sunt errores Geraldi Segarelli parmensis heretici dampnati et combusti, 5
et Dulcini dyocesis novariensis successoris ipsius et sequentium ipsorum, qui Dulcinus similiter fuit dampnatus hereticus et combustus, prout de erroribus apparet et colligitur evidenter ex confessione dicti Gerardi, dum adhuc viveret, et quorundam discipulorum dicti Dulcini qui postmodum ad fidem conversi fuerunt et ad obedientiam romane ecclesie redierunt.

1. In primis latenter dogmatizaverunt, et adhuc quibus et quando et ubi possunt latenter 10
et secretius dogmatizant, videlicet quod tota auctoritas a domino Ihesu Christo collata ecclesie romane est omnino evacuata et iamdudum cessavit propter maliciam prelatorum, et quod ecclesia romana quam tenent papa et cardinales et clerici et religiosi non est ecclesia dei, set reprobata ecclesia sine fructu.

2. Item, quod Ecclesia romana est illa meretrix que a fide Christi apostatavit de qua 15
scribit Iohannes in Apocalipsi.

3. Item, quod tota illa potestas spiritualis quam Christus dedit ecclesie ab initio translata est in sectam illorum qui dicuntur Apostoli seu de ordine Apostolorum, quam sectam vocant congregationem spiritualem a deo missam et electam in istis novissimis diebus, et ipsi et nulli alii habent potestatem quam habuit beatus Petrus apostolus. 20

4. Item, quod Gerardus Segarelli de Parma predictus fuit primus huius secte actor, qui, ut Dulcinus dicit et asserit, fuit nova planta dei pullulans in radice fidei in qua deus cepit reducere ecclesiam suam ad conservationem et perfectionem et vitam et statum et paupertatem ecclesie primitive in illo statu in quo Christus commisit ecclesiam beato Petro apostolo. 25

5. Item, quod ipsi soli qui dicuntur Apostoli de dicta secta seu congregatione sunt ecclesia dei et sunt in illa perfectione in qua fuerunt primi apostoli Christi, et ideo non tenentur alicui homini obedire, nec summo pontifici nec alteri, quia eorum regula que fuit immediate a Christo libera est et perfectissima vita.

6. Item, quod nec papa nec aliquis alius potest eis precipere quod deserant statum 30
illum seu vitam tante perfectionis, nec etiam potest eos excommunicare.

7. Item, quod de quolibet statu et ordine potest quilibet licite transire ad eorum vitam et statum seu ordinem, sive sit religiosus sive secularis, ita quod vir sine consensu uxoris, et uxor sine consensu viri, potest relinquere statum matrimonii et intrare ordinem ipsorum, et quod nullus prelatus ecclesie romane potest separare matrimonium, set ipsi possunt. 35

8. Item, quod nullus de vita seu statu vel ordine ipsorum potest licite intrare alium ordinem seu regulam sine peccato mortali, nec potest se subponere obedientie hominis cuiuscumque, quia hoc esset descendere a vita perfectissima ad minus perfectam.

9. Item, quod nullus potest salvari nec intrare regnum celorum, nisi sit de statu et ordine ipsorum, quia extra statum seu ordinem illum deinceps nullus salvabitur. 40

10. Item, quod omnes qui persecuntur eos peccant et sunt in statu dampnationis et perditionis.

11. Item, quod nullus papa romane ecclesie potest aliquem absolvere vere a peccatis, nisi esset ita sanctus sicut fuit beatus Petrus apostolus vivendo in omnimoda paupertate sine proprio et in humilitate, non faciendo guerras, nec aliquem persequendo, set permettendo vi- 45
vere quemlibet in sua libertate.

12. Item, quod omnes prelati romane ecclesie tam maiores quam minores a tempore

6. sequentium] *cod. A.* sequacium — 10. 1] *nei codici non sono numerati gli errori* — 11. videlicet] *manca in A.*
21. primus] *cod. A.* principium - actor] *in A. precede et* — 35. romane] *manca in D.* — 43. vere] *manca in A.*

sancti Silvestri, postquam declinaverunt a modo vivendi priorum sanctorum, sunt prevaricatores et seductores, excepto fratre de Marrone, qui fuit papa Celestinus appellatus.

13. Item, quod omnes ordines religiosorum et sacerdotum et dyachonorum et subdyaconorum et prelatorum sunt ad fidei catholice detrimentum.

5 14. Item, quod layci non tenentur nec debent dare decimas alicui sacerdoti seu prelato romane ecclesie, qui non sit in tanta perfectione et in tanta paupertate in quanta fuerunt primi apostoli; et ideo dicunt quod decime non debent dari nisi ipsis, qui dicuntur Apostoli et sunt pauperes Christi.

15. Item, quod quilibet homo et quilibet mulier nudi simul possint licite iacere in eodem lecto et licite tangere mutuo unus alterum in omni parte sui et osculari se invicem sine omni peccato; et quod coniungere ventrem suum cum ventre mulieris ad nudum, si quis stimuletur carnaliter, ut cesset temptatio, non est peccatum.

16. Item, quod iacere cum muliere et non commisceri ex carnalitate maius est quam resuscitare mortuum.

15 17. Item, quod perfectior vita est vivere sine voto quam cum voto.

18. Item, quod ecclesia consecrata non plus valet ad orandum deum quam stabulum equorum vel porcorum.

19. Item, quod ita bene potest adorari Christus in nemoribus, sicut in ecclesiis vel melius.

20. Item, quod pro nulla causa nec in aliquo casu debet homo iurare nisi pro articulis fidei vel preceptis dei, et omnia alia potest celare; et quantumcumque iurent dicere veritatem coram prelatis seu inquisitoribus non tenentur respondere de aliquo alio nec revelare doctrinam suam seu errores suos, nec tenentur defendere verbo, set semper corde tenere. Si tamen coguntur iurare metu mortis, in eo casu debent iurare verbo seu voce solum et in mente retinere quod in nullo casu teneantur respondere veritatem nisi de hiis que verbaliter continentur in articulis fidei vel preceptis; et si de aliis requirantur, licet eis sine peccato mentiri et veritatem sue secte negare ore, dum solummodo teneant eam in corde, ad hoc ut evadant potestatem inquisitorum; set debent respondere inficiando vel negando seu palliando, quocumque modo possint pertransire. Si tamen non possunt mortem evadere, tunc in tali casu aperte debent profiteri et defendere in omnibus et per omnia predictam doctrinam suam et mori in ea patienter et constanter' et nullatenus aliquos de sociis suis vel credentibus revelare.

MUR., 458

Predictos errores et quosdam alios, qui ex eis necessario concluduntur, tenent et dogmatizant credentibus suis, non tamen publice set secreta; nec omnes insimul docent set paulatim, modo unum, modo alium, modo plures, sicut magis viderint oportunum, et communiter cum aliqua similitudine bonitatis vel pietatis, ut magis reddantur credibilia verba ipsorum; et maxime premittunt in persuasionibus suis apud laycos quecumque possunt dicere et persuadere de mala vita prelatorum et laycorum et religiosorum, et dicunt quod prelati et clerici et religiosi persecuntur eos ex invidia ex eo quia dicunt et docent veritatem.

Modus autem persuadendi et informandi ipsorum in principio et maxime publice communiter talis est. Dicunt enim: *Vigilate et orate quia hoc est bonum pro anima*. Item, dicunt *Pater noster*, et *Ave, Maria*, et *Credo in deum*; et cantant eundo per villas, aliquando in plateis vel ubi inveniunt audientes: *Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum*; et aliquando cantant: *Salve, Regina*; et pretendunt exterius quedam signa devotionis ad deum, que prima facie videntur auditoribus bona et pia, ut sic magis alliciant audientes; et specialiter conantur ut appareant exterius hominibus penitentes et vitam perfectam agentes.

5. tenentur, nec] manca in A. — 9. homo] ed. D. huius — 10. eodem] in A. precede uno et — 11. quod] manca in A. — 20. potest] cod. A. possunt — 24. casu] manca in D. — 37. laycorum] meglio cod. A clericorum preposto a prelatorum — 38. ex eo] manca in A.

Predictus Dulcinus inter cetera dogmatizavit, asserens se habere spiritum prophetie, sibi fuisse revelatum a deo quod sub anno Domini MCCCXV Fredericus rex Sicilie filius quondam Petri regis Aragonum fieret imperator, et tunc institueret decem reges in Italia et quod occideret papam et omnes cardinales et omnes prelatos ecclesie et omnes religiosos, preter illos qui fugerent ad sectam ipsius Dulcini et suorum; et tunc Dulcinus poneretur in sede beati Petri, et inciperet ipse et sui in ecclesia dominari; quod totum liquido patet et patuit esse falsum. Item, quod ipse Dulcinus et sui sequaces solum, et nullus alius, habebant Spiritum Sanctum, set primitus non ad robur; et ideo tunc occulte et de nocte et cum timore predicabant; set in anno predicto, quando Fredericus esset constitutus imperator, tunc ipsi erant recepturi tantam habundantiam Spiritus Sancti ad robur quantam receperunt primi apostoli Christi in die Penthecostes; et tunc, deposito omni timore, per totum mundum magis publice predicarent, ut converterent populos ad sectam et vitam et congregationem suam apostolicam, extra quam nullus deinceps posset salvari. Item, Dulcinus dogmatizavit quod ecclesia habet et habuit IIII status. Primus fuit bonus et humilis, pauper et persecutioni subiectus; et iste status fuit tempore Christi et apostolorum. Secundus fuit bonus, castus, honorabilis et dives; et iste fuit tempore beati Silvestri. Tertius fuit et est dives, avarus, fornicarius, honorabilis et superbus; et iste status duravit et durat modo. Quartus est sicut primus; et iste incepit a Geraldo Seguerelli de Parma, qui viam perfectionis apostolice in istis diebus novissimis a deo missus primus post apostolos incepit; et erant XL anni elapsi tempore quo predictus Dulcinus predicta dixit et scripsit sub anno MCCC, vel circa; et hanc vitam apostolicam tenent Dulcinus et sui sequaces, ut dicunt. Item, predictus Dulcinus habuit et tenuit et secum ducebat amasiam nomine Margaritam, quam dicebat se tenere more sororis in Christo pudice et honeste; et quia fuit deprehensa esse gravida, ipse et sui asserunt eam esse gravidam de Spiritu Sancto. Item, simili modo discipuli et sequaces Dulcini, qui se dicunt esse Apostolos, ut sepius compertum est, ducebant secum amasias, quas appellabant sorores in Christo, et cum eis iacebant in lectis, asserentes mendaciter et fingentes se nullis carnis temptationibus molestari. Item, notandum est quod predictus Dulcinus fuit spurius filius cuiusdam sacerdotis.

Contra predictum Dulcinum hereticum et sequaces suos mandavit dominus Clemens papa V procedi, sicut apparet ex litteris ipsius apostolicis directis inquisitoribus heretice pravitatis et archiepiscopo mediolanensi et suffraganeis suis in partibus Lombardie. Quarum litterarum transumpta duxi consequenter presentibus inserenda.

“ *Clemens* episcopus servus servorum dei dilectis filiis fratribus ordinis Predicatorum [inquisitoribus] heretice pravitatis in partibus Lombardie, salutem et apostolicam benedictionem. — Firmissime teneat vestra prudentia et nullatenus dubitet quod deus indulgentiarum, pater misericordie, considerans merita singulorum, contentus nostris indulgentiis non existit quin benefacientibus gratiam potiolem indulgeat et eternam gloriam superaddat, ad quas per fructum boni operis promerendas fideles Christi frequenter et libenter nostris remissionibus invitamus. Cum igitur in Lombardie partibus pullularit heretica pravitas illius filii sathane, qui vocatur Dulcinus, ad ipsius extirpationem vos propter deum oramus (?) ne regionem illam inficiat laborare; nos volentes in huius negocio fidei laborantes largitione munerum confovere, vobis et omnibus qui usque ad consumptionem negocii huius institerint, vere penitentibus et confessis, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, plenam concedimus veniam peccatorum, sociisque ordinis vestri fratribus et notariis vestris qui una vobiscum in persecutione huius negocii laborant, et aliis qui vobis in eodem negocio ex animo auxilium prestiterint vel favorem tres

15. status] manca in A. - tempore] ed. D. tempus — 16. tempore] ed. D. tempus — 23. pudice] cod. A. provide — 27. Item] da questo punto fino a p. 28 l. 48 manca in A.

“ annos de iniunctis sibi penitentiis relaxamus; et si qui ex hiis in persecutione dicti negotii
 “ forte decesserint, eis peccatorum omnium de quibus corde contriti et ore confessi fuerint
 “ plenam veniam indulgemus. Datum Burdegali VII kalendas septembris, pontificatus nostri
 “ anno primo, sub anno Domini MCCCVI „.

5 “ *Clemens* episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus archiepiscopo mediola-
 “ nensi et eius suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. — Pervenit nuper ad audien-
 “ tiam nostram, quod non sine cordis amaritudine magna refferimus, qualiter nequicia illius
 “ filii Belyal, qui vocatur Dulcinus, in Lombardie partibus pullulavit in tantum quod ipse con-
 “ tra sanctam ecclesiam et fidem catholicam se extollens, veritatis via neglecta, in precipi-
 10 “ cium lapsus erroris non solum se ipsum precipitat in gehennam, set et multos trahit in de-
 “ vium verbo pariter et exemplo: cuius errores nonnullos illius provincie pro dolor fedaverunt.
 “ Ad exterminandum igitur errores huius, quos humani generis inimicus conatur in dictis par-
 “ tibus seminare, animari debent corda fidelium et oves morbidas ab ovili ne inficiant sanas
 “ oves [segregare]. Quia vero loca in quibus Dulcinus et sequaces eius predicti principaliter
 15 “ se receptant dicuntur iurisdictioni dilecti filii nobilis viri Amodei, comitis Sabaudie, imme-
 “ diate vel alio mediate subiecta, seu terris iurisdictionis predictae vicina, ex quo negotium
 “ huius non mediocriter contingit eundem, nos qui salutis et honoris incrementa diligimus
 “ viamque precludere dictis erroribus ingenti desiderio affectamus dictum comitem per alias
 “ nostras rogamus et hortamur litteras, in remissionem sibi peccaminum iniungentes ut ipse
 20 “ huius negotium tamquam atleta fidei constanter assumat et viriliter persequatur, ad partes
 “ illas exercitu congregato se specialiter, si id possit fieri, transferendo, alioquin transmit-
 “ tendo illuc aliquem de suis virum strenuum ad hoc ydoneum, qui inquisitoribus heretice
 “ pravitatis assistat locaque obsideat antedicta et faciat que contra premissa fuerint facienda;
 “ nec propterea volumus quod obmittat quin procedat ad executionem dicti negotii, cum
 25 “ oportunitas aderit, per se ipsum; passus autem et loca, per que possent ad predictos Dul-
 “ cinum et sequaces eius ferri victualia, sic faciat custodiri quod eadem victualia nullo modo
 “ pertractari valeant, vel haberi accessus hominum ad eosdem, ut taliter cohartati venire ad
 “ mandata ecclesie compellantur; dictusque Dulcinus, si comprehendi poterit, ad presentiam
 “ nostram sub fida custodia destinetur curiose, sic precavens idem comes ne dictus Dulcinus
 30 “ se fuge presidio tueatur. Quo circa fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus
 “ quatinus tam inquisitoribus quam nobili supradictis assistatis favoribus oportunis, prout quo-
 “ ciens et quando ab eis vel ab eorum altero super hoc fueritis requisiti; ac nichilominus
 “ vestrum quilibet sic in premissis efficaciter officii sui debitum exequatur quod non possitis de
 “ negligentia reprehendi, set sollicite comprobemini gerere negotium fidei, ac exinde divinam
 35 “ et nostram et dicte sedis apostolice gratiam mereamini plenius obtinere. Datum Burdigali
 “ VII kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo, anno Domini MCCCVI „.

“ *Clemens* episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Ludovico de Sabaudia do-
 “ mino Vaudi salutem et apostolicam benedictionem. — Pervenit nuper ad audientiam nostram,
 “ quod non sine cordis amaritudine magna refferimus, qualiter nequicia illius filii Belyal, qui
 40 “ vocatur Dulcinus, in Lombardie partibus pullulavit. Quo circa nobilitatem tuam rogamus et
 “ hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus pro nostra et apostolice sedis
 “ reverentia tueque salutis et honoris augmento tam inquisitoribus quam nobili supradictis as-
 “ sistas consiliis, auxiliis et etiam favoribus oportunis, prout quociens et quando ab eis vel
 “ eorum altero super hoc fuerit requisitus; sic te in premissis taliter habiturus quod habere
 45 “ cordi negotium fidei comproberis, nosque devotionem et sollicitudinem tuam possimus in
 “ Domino merito commendare, ac exinde divinam et nostram et dicte sedis apostolice gratiam
 “ merearis plenius optinere. Datum Burdegali VII kalendas septembris, pontificatus nostri
 “ anno primo, anno Domini MCCCVI „.

Fuit itaque de mandato apostolico contra predictum Dulcinum crux cum peccatorum indulgentia predicta; et inquisitores pluries moverunt exercitum contra ipsum; set non poterant prevalere, quia sequaces, et credentes, et receptatores, et fautores, ac defensores eius multiplicati erant super numerum in partibus Lombardie.

Post autem tandem inquisitores heretice pravitatis in partibus Lombardie de ordine Predicatorum cum episcopo vercellensi, cruce cum plena peccatorum indulgentia predicata, congregaverunt magnum exercitum contra prefatum Dulcinum heresiarcham, non tam imitorem errorum veterum quam novorum et perversorum dogmatum inventorem, qui multos infecerat multosque traxerat et habebat plurimos discipulos et sequaces morabaturque cum suis in montanis novariensibus. Accidit autem quod propter intensa frigora multi ex eis qui erant in dictis montibus fame et frigore deficientes a viribus et a vita in suis erroribus perierunt. Ascendentes itaque fideles de exercitu ceperunt ibidem Dulcinum et cum eo circiter centum XL personas; mortui vero fame et frigore cum interfectis gladio quadringenti et amplius sunt inventi. Cum eodem quoque Dulcino fuit capta Margarita, non tam malefica quam heretica, consors eius in scelere et errore. Predicta vero captio facta fuit in epdomada sancta in die sancto Cene, sub anno dominice incarnationis inchoato MCCCVIII; fuitque facta debita executio iustice de eisdem per curiam secularem; fuitque dicta Margarita ante Dulcini oculos concisa membratim; dehinc et ipse Dulcinus membratim inciditur; et amborum ossa et membra omnia pariter comburuntur cum quibusdam aliis suis complicibus, prout eorum scelera merebantur. Non tamen perversum dogma Dulcini, ipso extinto, penitus est extinctum; unde inquisitores heretice pravitatis in partibus Ytalie et Tuscie et alibi contra omnes discipulos aut sequaces de predicta secta Gerardi et Dulcini processerunt tamquam contra hereticos, inquirendo eos, et persequendo, et capiendo, et incarcerando, et penis canonicis et alias a iure positis et statutis puniendo. Fuerunt autem multi utriusque sexus post mortem prefati Dulcini de secta illa heretica conversi ad fidei catholice unitatem, recognoscentes et confitentes errores suos et sectam illam et heresim in iudicio abiurantes et promittentes mandatis inquisitorum et ecclesie simpliciter obedire, penitencias secundum qualitatem culparum publice susceperunt. Alii vero multi qui converti noluerunt relictis fuerunt curie seculari, et nonnulli alii latitaverunt et alii aufugerunt ad diversas partes mundi et ad diversa regna se transtulerunt, ubi tamquam incogniti occulte et latenter magis possent sectam suam et doctrinam erroneam et hereticam simplicibus seminare sub quadam simulata specie pietatis et falsa ymagine sanctitatis; et ideo, ubicumque tales reperti fuerunt in quacumque provincia sive regno occulta conventicula facientes et a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, et eadem vel similia predictis predicantes, publice vel occulte, cum predicare aut docere publice sit eis illicitum et penitus interdictum, nec non portantes habitum ipsorum qui dicuntur Apostoli vel ei consimilem, quia multociens in habitu se transformant et quandoque nomina sibi mutant et specialiter si qui se dicerent esse de ordine Apostolorum vel de secta seu doctrina predictorum Gerardi seu Dulcini, vel qui eosdem Gerardum seu Dulcinum, seu vitam aut doctrinam ipsorum approbarent, seu modo aliquo commendaret, debent prelati et inquisitores quibus incumbit ex officio procedere contra eos tanquam contra hereticos, necnon credentes, et fautores, et receptatores, et defensores ipsorum; fideles autem et catholici fidei zelatores debent ipsos tanquam notatos de heresi et hereticos in omni participatione penitus evitare et ipsos detegere et revelare et denunciare prelati et personis ecclesiasticis et inquisitoribus heretice pravitatis ubicumque sciverint eos esse; et circa hoc sunt admonendi et exortandi layci publice in ecclesiis per prelatos et sacerdotes curatos et per illos qui verbum dei in ecclesiis predicabunt.

Est autem valde difficile ipsos examinare et veritatem contra eos invenire pro eo maxime

1-20. Fuit.... extinctum] questo è il brano che leggesi con lievi differenze di forma nella "Vita" di Clemente V del Gui

quod quantumcumque iuraverint in iudicio se veritatem dicturos, nolunt tamen manifeste suam detegere falsitatem, nec suos errores publice confiteri, nec directe respondere ad interrogata, set palliate et per astucias et tergiversationes multas deviant et mendaciis se iuvant, et se ipsos contegunt, et ideo multum est ars necessaria contra ipsos et industria inquirentis.

5 Modus autem inquirendi et examinandi eos a principio contra eorum astucias, ut magis valeant ab inquirentibus comprehendi, poterit esse talis. Postquam in iudicio constituti iuraverit super sancta dei evangelia plenam et meram dicere veritatem de facto heresis cuiuscumque secte dampnate, et specialiter de secta predictorum Gerardi et Dulcini et illorum qui falso dicuntur Apostoli, seu vitam et sectam et ritum ipsorum tenere se dicunt, ac etiam
 10 de quibuscumque aliis de quibus in iudicio fuerint requisiti, tam de se ipsis sicut de principalibus, quam de aliis personis vivis et mortuis sicut testes, tunc fiant eis ad partem in loco ydoneo coram testibus fide dignis interrogatoria que secuntur, et interrogationes et responsiones eorum redigantur in scriptis per manum notarii publici et iurati, si comode possit haberi aut per duos viros ydoneos loco notarii conscribantur; et in examinatione eorum adhibeantur
 15 ad minus due religiose et discrete persone cum aliis testibus personis ecclesiasticis fidei zelatoribus et discretis. In primis interrogentur et examinentur de sua patria et parentibus, unde fuerunt aut traxerunt originem, et quare et quando de suis partibus recesserunt, et ad partes tales venerunt, et cum quibus et quantum steterunt in remotis partibus, et in quibus villis et cum quibus maxime conversati sunt in eisdem. Item, si unquam audiverunt nominari Gerar-
 20 dum Segarelli de Parma vel Dulcinum dyocesis novariensis de Lombardia, vel si ipsos vel alterum ipsorum viderunt, et ubi; et si unquam cum eis vel ipsorum altero locuti fuerunt, et ubi; et qui credunt aut sentiunt de ipsis, vel de vita, aut secta, et doctrina ipsorum; et si reputant eos fuisse bonos homines, et habuisse, et tenuisse bonam sectam, et docuisse bonam doctrinam. Item, si unquam viderunt aliquem de secta predictorum Gerardi et Dulcini vel
 25 de secta illorum qui dicuntur Apostoli seu de ordine Apostolorum, vel si habuerunt aliquam societatem vel participationem cum eis. Item, de habitu quem portant et de forma eius, qui videtur esse habitus alicuius religionis, quando et ubi talem habitum assumpserunt et quibus presentibus, et quem ordinem tenent et quam regulam profitentur, et si unquam ordo ipsorum quem tenent et talis habitus quem portant ab ecclesia romana fuit approbatus, et si sciunt
 30 aliquos alios qui talem ordinem teneant et habitum talem portent. Item, de doctrina quam docent et de modo eius quem in docendo tenent dicendo: *Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum*, cantando in locis publicis coram populo, et de aliis circa hec que communiter videntur fieri et dici et cantari ab eis; unde habuerunt ista et quis docuit eis, et quare ista faciunt, cum non sint instituta fieri ab ecclesia romana nec a prelatibus ecclesie,
 35 et in hoc manifeste appareant singulares et a communi conversatione fidelium tam religiosorum quam aliarum personarum et victu et ritu dissidentes; et a quanto tempore talia ab eis fieri inceperunt. Item, si aliquem vel aliquos monuerunt vel induxerunt ad talem habitum assumendum, et ad similem ritum et modum vivendi tenendum, et ad consimilia faciendum, et quos, et quot et quare. Item, si fuerunt confessi illo anno peccata sua, et cui; et si communica-
 40 verunt seu receperunt corpus Christi, et ubi; cum ipsi predicent penitentiam esse faciendam, et ad veram penitentiam, post cordis contritionem, requiratur oris confessio de peccato facienda sacerdoti ordinato per episcopum de ecclesia romana, et non alii, et cum omnes fideles teneantur semel in anno peccata sua confiteri proprio sacerdoti et communicare in Pascha, maxime videntur teneri ad hoc qui talem vitam perfectam pretendunt exterius et ostendunt.

45 Ex predictis generalibus interrogationibus et aliis consimilibus que tunc occurrerint faciende, causa et occasione habita ex predictis, et ex responsionibus ipsorum aliquando, in suis duplicitatibus et varietatibus poterunt deprehendi, maxime si vigilem et strenuum ac cir-

4. inquirentis] a questo punto cessa l'edizione del Muratori — 6. comprehendi] cod. A. deprehendi — 38. consimilia] cod. A. similia — 46. aliquando] cod. A. aliquo modo

cumspectum et industrium habuerint inquirentem, cum nullam bonam rationem poterunt reddere ad requisita.

Post hec autem interrogentur et examinentur in speciali de aliquibus erroribus dicte secte, et omnia similiter conscribantur. In primis examinentur de ecclesia romana cui presidet universaliter papa romanus, et sub ipso sunt domini cardinales et archiepiscopi et episcopi et prelati et clerici ac religiosi, qui dictam sectam illorum qui dicuntur de ordine Apostolorum persecuntur et ipsos condemnant tanquam hereticos; si credunt quod dicta ecclesia romana sit bona et sancta et si credunt quod sit ecclesia dei et quod habeat illam potestatem ligandi et solvendi et excommunicandi quam Christus dedit et tradidit beato Petro apostolo et quod nulla alia secta seu congregatio preter ecclesiam romanam dictam habeat potestatem. Item, de secta Gerardi Segarelli et Dulcini et sequacium suorum, qui dicuntur Apostoli seu de conficto ordine Apostolorum dicentes se tenere vitam apostolicam, si credunt dictam sectam esse bonam vel malam; et si credunt quod illi qui talem sectam tenent possint in ea salvari, cum sit dampnata et per romanam ecclesiam reprobata; et si credunt quod de quolibet statu et ordine alio possit quilibet licite transire ad tenendum dictam sectam seu ordinem illum Apostolorum, et quod nullus qui tenet dictam sectam seu ordinem Apostolorum illorum possit licite transire ad aliquem alium ordinem, quantumcumque sit per romanam ecclesiam approbatus. Item, si aliquis possit salvari et intrare in regnum celorum qui non teneat dictum ordinem Apostolorum seu predictam sectam. Item, de illis qui persecuntur ipsos sicut sunt prelati ecclesie et inquisitores, si credunt quod propter hoc peccent et sint in statu damnationis seu perditionis. Item, si in aliquo casu ipsi qui dicunt se tenere vitam perfectam et ordinem Apostolorum sunt subiecti prelati ecclesie romane, et si tenentur eis tanquam suis superioris obedire. Item, si credunt quod sit eis licitum iurare, vel non, de veritate dicenda coram prelati seu inquisitoribus heretice pravitatis; et si postquam iuraverint, tenentur respondere veritatem de omnibus super quibus fuerunt interrogati et examinati ab eis; et si licitum sit eis celare sectam suam et errores suos in quibus deviant ab ecclesia romana, et negare veritatem in iudicio, et mentiri sine peccato ad hoc ut evadant potestatem prelatorum seu inquisitorum inquirentium contra eos. Si vero nihil de predictis erroribus seu aliis consimilibus dicte secte noluerint in iudicio confiteri et persistent pertinaciter in negando, cum vehementer sint suspecti tamquam a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, tam ex ritu et modo singulari secte sue quam tenere videntur, tam ex habitu quem portant similem habitui religioso, cum tamen non sint de aliqua religione, per ecclesiam approbata, ymo potius reprobata, et omnis talis habitus sub forma religionis non approbatus sit interdictus et prohibitus ad portandum, tam etiam ex forma et modo doctrine sue quam tenent et servant, qualem formam et modum tradiderunt prefati Gerardus et Dulcinus et sui sequaces, qui Apostolos se appellant, quam etiam ex congregationibus privatis et ex conventiculis, que faciunt in occulto, debent detineri in carcere, quilibet separatim et nullo modo plures insimul, ut ab eis melius veritas habeatur; et caveatur diligenter quod nulli de suis complicibus aliquo modo possint eis loqui, nec litteras vel nunciationes aliquas mittere per quas valeant informari et amplius indurari; et nichilominus cum fidelibus catholicis fidei zelatoribus, qui viderunt eos conversantes, diligenter et sollicite inquiretur de hiis que viderunt vel audiverunt de eisdem; et fiat informatio de omnibus que contra ipsos legitime poterunt inveniri per que ipsorum falsitas detegatur.

Si qui vero de predicta secta sponte converti voluerint et redire ad ecclesiasticam unitatem et dictam sectam penitus abiurare et mandatis ecclesie simpliciter obedire, recipiendi sunt ad penitentiam, facta prius confessione ab eisdem in iudicio et recepta de suis erroribus et complicibus omnibus quos noverint dicte secte sub forma que sequitur in hunc modum.

2. requisita] *cod. A.* quesita — 17. licite] *manca in D.* — 27-28. prelatorum seu] *manca in A.* — 31. tenere videntur, tam] *cod. A.* tenent universaliter tamen

Anno Domini MCCCXVI in kalendis maii, talis N. de tali loco, seu patria, de tali dyo-
 cesi, antequam caperetur veniens se ipsum (*vel sic*: postquam captus fuit et devictus) conver-
 sus a secta dampnata illorum qui falso se dicunt Apostolos seu de Apostolorum ordine ab
 ecclesia reprobato ad ecclesiasticam unitatem, constitutus in iudicio coram religioso viro tali
 5 N. de ordine Predicatorum, inquisitore heretice pravitatis in regno Francie auctoritate sedis
 apostolice deputato, iuratus ad sancta dei evangelia plenam et meram dicere veritatem de
 facto heresis cuiuscumque secte dampnate, et specialiter secte illorum qui dicuntur de pre-
 fato conficto Apostolorum ordine reprobato, tam de se ipso sicut de principali quam de aliis
 personis vivis et mortuis sicut testis, dixit et confessus fuit quod tot anni sunt, etc. (*vel sic*
 10 *post illud*: vivis et mortuis sicut testis: postquam alias negaverat veritatem in iudicio contra
 proprium iuramentum, rediens ad cor suum, usus consilio saniori, corrigendo se et dictum
 suum dixit et confessus fuit quod tot anni sunt) quod talis N. commendavit sibi semel, vel
 pluries, vitam et sectam predictam et ordinem predictum inducendo ipsum ad amorem et cre-
 dentiam dicte secte (*exprimantur in effectu verba commendationis et modus commendandi et*
 15 *inducendi*). Item, dixit et confessus fuit quod post predicta, tali tempore, in tali villa et in
 tali loco, ipse qui loquitur fuit factus de dicta secta seu ordine et receptus ad eam per talem
 N. qui erat de dicta secta seu de ordine, per talem modum, presentibus talibus (*exprimantur*
singula); et ex tunc ipse qui loquitur tenuit et servavit dictam sectam seu ordinem, portando
 talem habitum (*describatur*) et vivendo secundum modum et ritum dicti ordinis, eundo seu
 20 discurrendo de villa ad villam, mendicando, et dicendo, et faciendo, et docendo eo modo
 quo alii dicte secte dicunt, faciunt et docent, et conversando cum eisdem sicut unus ex eis.
 Interrogatus de locis seu villis in quibus fuit ex tunc taliter conversatus, respondit quod in
 tali et in tali (*exprimantur*). Interrogatus cum quibus sociis de dicta secta, respondit quod
 cum talibus et talibus (*exprimantur*). Interrogatus si aliquos induxit seu attraxit ad dictam
 25 sectam seu ordinem, respondit quod sic tales et tales, tali tempore, in tali villa, per talem
 modum, presentibus talibus (*exprimantur singula*). Interrogatus de credentibus, et amicis, et
 receptatoribus ipsorum qui sciebant ipsum qui loquitur et alios esse tales et consentiebant in
 facto ipsorum, respondit quod in tali villa sunt credentes, receptatores et consentientes in
 facto ipsorum tales et tales, et in tali villa sunt tales et tales (*exprimantur singula et loca et*
 30 *nomina personarum*). Interrogatus quomodo ipse scit quod essent credentes et consentientes
 in facto ipsorum, respondit quod ipse vel tales socii sui ipso presente exposuerunt eis fac-
 tum ipsorum, et ipsi videbantur approbare et eis videbantur placere, et audiverunt verba, et
 monitiones, et exortationes ipsius qui loquitur et sociorum suorum semel, vel pluries, in se-
 creto cum aliis personis, credentibus et consentientibus, et videbantur eis placere et bene-
 35 faciebant eis et recipiebant eos in hospiciis suis (*exprimantur singula*). Interrogatus de so-
 ciis suis qui sunt similiter tenentes et servantes dictam sectam seu ordinem, quos ipse vidit
 et cum quibus fuit, respondit quod tales et tales (*exprimantur nomina omnium singillatim et*
unde sunt vel unde fuerunt) et predictos vidit servantes et tenentes dictam sectam et ordinem
 et modum et ritum ipsius in conversando et predicando sicut ipse et alii faciebant (*declaren-*
 40 *tur illa que circa hec et ad hec pertinebunt*). Interrogatus si illi qui sunt de dicto ordine pro-
 mittunt aliquam obedientiam alicui, respondit (*exprimatur id quod respondit*). Interrogatus
 quid promittunt vel ad quid se obligant illi qui ad dictum ordinem recipiuntur, respondit quod
 talia et talia (*exprimatur*). Interrogatus si scivit vel audivit dici vel credidit quod dictus ordo
 fuerit per romanam ecclesiam approbatus, respondit quod non. Interrogatus si unquam audi-
 45 vit dici a sociis suis vel ab aliquibus aliis, vel alias ipse scivit quod ecclesia romana sicut
 prelati et inquisitores hereticorum persequerentur dictum ordinem et illos qui tenent ipsum,
 respondit quod hoc audivit et scivit et ita credebatur et tenebat. Interrogatus si unquam sci-
 vit vel audivit dici quod aliqui de dicto ordine fuerunt capti per inquisitores et incarcerati,

vel puniti, seu relictis curie seculari vel combusti, respondit quod sic tales et tales et tales in talibus villis (*exprimantur nomina singulorum*). Interrogatus de modo vivendi quem tenent et servant, et si ieiunant et quantum, et si orant, et quas orationes faciunt, respondit quod modus vivendi, ieiunandi et orandi eorum est talis et talis (*exprimantur*). Interrogatus de modo quem tenent et habent in predicando, et docendo, seu exhortando, vel informando se ipsos 5 vel alios, respondit quod talem et talem (*exprimantur singula*). Interrogatus si unquam congregant se, vel veniunt alicubi de nocte ad docendum vel aliquid aliud faciendum, et quando, ubi et quomodo, respondit quod sit taliter (*exprimantur singula*).

Interrogatus si habent aliquod tempus determinatum in anno vel aliquem locum specialiter deputatum ad faciendum aliquam congregationem maiorem ad tractandum de negociis 10 suis, respondit (*exprimatur*).

Interrogatus in speciali de doctrina erronea seu erroribus eorum quos tenent et docent contra fidem ecclesie romane aut contra communem statum prelatorum et clericorum et religiosorum, respondit et confessus fuit quod tales et tales (*et in isto loco exprimantur errores quos ipse confitens dixerit per se ipsum singillatim et distincte per articulos isto modo*). Primo 15 recognovit et confessus fuit quod dicunt et docent et credunt et tenent de ecclesia romana hoc et hoc (*exprimatur*). Item, de papa credunt et dicunt seu dogmatizant hoc et hoc (*exprimatur*). Item, de prelatis et clericis et religiosis credunt et dicunt et dogmatizant hoc et hoc (*exprimatur; et sic de singulis aliis sicut ipse expressit et confessus fuit singillatim*). Postquam autem ipse confitens dixerit et expresserit illos errores et illos articulos in quibus 20 deviant a communi statu et a fide ecclesie romane de quibus fuerit recordatus, tunc etiam poterit interrogari et examinari, caute tamen, de aliis quos ipse non expresserit qui superius sunt nominati, si aliquid scit vel audivit de eis dici, et quid ipse credidit aut tenuit de eisdem (*et scribatur id quod responderit*). Interrogatus si ipse credidit dictos errores de quibus confessus est esse veros, et dictam sectam seu dictum ordinem Pseudo-apostolorum esse bonum, 25 et quod ipse vel illi qui tenerent dictum ordinem et dictos errores tenerent bonam fidem et bonam vitam in qua possent salvari, quamvis ipse sciret quod erant contrarii ecclesie romane, et quod illi qui tenent fidem ecclesie romane persequebantur eos, respondit quod sic. Interrogatus quanto tempore stetit in dicta credentia, respondit quod tanto tempore (*exprimatur: tot annis, vel sic: ab illo tempore quo primo concensit, sicut dixit supra, usque ad tale tempus* 30 *exprimatur*). Interrogatus si modo credit ita, respondit quod non; set vult vivere et mori in fide romane ecclesie et petivit reconciliari et absolvi a sententia excommunicationis.

Modus scribendi abiurationem per notarium talis est:

Et ibidem predictus talis N. in iudicio constitutus coram prefato inquisitore vel tali episcopo, sacro sanctis evangelii dei positus coram ipso, flexis genibus, abiuravit penitus omnem 35 heresim extollentem se adversus fidem catholicam domini Ihesu Christi et omnem credentiam et favorem et receptationem et defensionem hereticorum cuiuscumque secte reprobate, quibuscumque nominibus censeantur, et specialiter abiuravit sectam illorum et heresim qui dicunt se tenere illam vitam quam falso dicunt apostolicam et perfectam, seu illum ordinem illorum Pseudo-apostolorum quem sedes romana et apostolica minime approbavit, set potius repro- 40 bavit, sub pena que de iure debetur relapsis in heresim in iudicio abiuratam.

Item, promisit et iuravit se pro posse suo persequi et revelare seu detegere hereticos, et credentes, et fautores, et receptatores, et defensores eorum, ac etiam pro heresi fugitivos, et specialiter de dicta secta Pseudo-apostolorum, quandocumque et ubicumque sciverit eos esse vel aliquem de predictis. Item, promisit et iuravit se tenere et servare fidem catholicam 45 quam romana ecclesia predicat et observat, et parere mandatis ecclesie et inquisitorum et recipere et pro posse suo proficere et complere penitentiam sive penam quam inquisitores sibi duxerint iniungendam, et nunquam fugere nec se scienter et contumaciter absentare, set venire coram ipsi ad diem et dies, quandocumque et quocienscumque fuerit requisitus, et

adhuc obligavit se et omnia bona sua; et sic ibidem fuit per dictum inquisitorem reconciliatus et secundum formam ecclesie ab excommunicationis vinculo absolutus, si tamen de corde bono et fide non ficta ad ecclesie redierit unitatem, et mandata sibi iniuncta servaverit, et plenam et meram tam de se quam de aliis de facto heresis confessus fuerit veritatem.

5 Hec deposuit et confessus fuit et predicto modo abiuravit, promisitque atque iuravit coram prefato inquisitore, anno et die quibus supra, in aula domus inquisitionis, vel in tali loco, in presentia et testimonio talium et talium testium ad hoc vocatorum, et mei talis notarii publici et iurati qui presens interfui, et scripsi, et recepi, et in publicam formam redegi.

Ego talis N. in iudicio constitus coram vobis inquisitore tali, vel episcopo tali, sacro-
10 sanctis evangelii dei coram me positis, flexis genibus, abiuro et renego penitus omnem heresim extollentem se adversus fidem catholicam domini Ihesu Christi, et omnem credentiam et favorem et receptationem et defensionem hereticorum cuiuscumque secte reprobate, quibuscumque nominibus censeatur, et specialiter abiuro sectam illorum et heresim qui se falso dicunt tenere illam vitam quam dicunt apostolicam et perfectam vitam, seu illum ordinem
15 Pseudo-apostolorum quem sedes romana et apostolica minime approbavit, set potius reprobavit, sub pena que de iurè debetur relapsis in heresim in iudicio abiuratam. Item, promitto et iuro me pro posse meo persequi et revelare seu detegere hereticos et credentes et fautores et receptatores et defensores eorum, ac etiam pro heresi fugitivos, et specialiter de dicta secta Pseudo-apostolorum, quandocumque et ubicumque scivero eos esse vel aliquem
20 de predictis. Item, promitto et iuro quod tenebo et servabo fidem catholicam quam romana ecclesia predicat et observat. Item, promitto et iuro quod parebo mandatis ecclesie et vestris ac successorum vestrorum, et quod recipiam et pro posse meo perficiam et complebo penam seu penitentiam quam vos vel ipsi mihi duxeritis imponendam seu etiam iniungendam, et quod nunquam fugiam nec me contumaciter absentabo, set veniam coram vobis vel ipsis ad diem
25 et dies, quandocumque et quocienscumque fuero mandatus seu requisitus; et ad hoc et pro hoc obligo me et omnia bona mea.

Littera directa ad partes Hispanie contra sectatores Dulcini heretici qui se falso Christi apostolos nominant et fatentur.

“ Venerabilibus in Christo patribus ac dominis reverendis universis ecclesiarum prelati-
30 “ ac religiosis viris fratribus Predicatorum et Minorum aliorumque ordinum eiusdem regionis,
“ zelatoribus fidei domini Ihesu Christi in partibus Hispanie, ad quos presentes littere per-
“ venerint, frater Bernardus Guidonis ordinis Predicatorum, inquisitor heretice pravitatis in
“ regno Francie et specialiter in partibus Tholosanis auctoritate sedis apostolice deputatus,
“ eternam salutem in actore et consummatore fidei et salutis domino Ihesu Christo. — Ad
35 “ extirpanda de medio populi christiani zizania que habundantius in hiis retro annis super-
“ creverunt, seminante illa zizaniarum satore diabolo inimico, tanto studiosius invigilandum
“ est quanto perniciosius negligentur in necem catholici seminis pervagari et in tantum su-
“ percrescere quod triticum vere fidei in agro dominico suffocarent. Dudum si quidem, sicut
“ nobis et ceteris inquisitoribus heretice pravitatis multipliciter compertum est et apertum et
40 “ effectum est notorium in partibus maxime Lombardie, ille humani generis pervicax inimicus
“ qui ab initio visus est omnipharia sua perfidia ac invidia salutem hominis impedire, novis-
“ sime diebus istis, ab annis non paucis citra, per quemdam sue nequicie ministrum et ope-
“ rarium iniquitatis Gerardum Segarelli de Parma nomine et natione, venena nove heresis
“ sparsit mortifera, multosque effecit et infecit discipulos sui perversi dogmatis sectatores;
45 “ qui tandem deprehensus in errore heresis et horrore dampnatus per ecclesie iudicium et
“ diffinitivam sententiam inquisitorum heresis, velut heresiarcha notorius relictus seculari iudicio,

26. mea] a questo punto cessa il cod. A.

“animadversione debita punitus est et combustus. Set reliquit semen pessimum, semen ne-
 “quam, scilicet sibi discipulum unum ex filiis sceleratis, magistrum erroris et perversorum
 “dogmatum assertorem, non solum imitatore[m] veterum set novarum heresum inventorem,
 “quendam Dulcinum nomine, Novariensem origine, qui sui dampnati magistri sequens ve-
 “stigia plures fecit sibi discipulos et sequaces quos suos apostolos nominavit; devians eos ab 5
 “unitate fidei et abducens ab obedientia summi pontificis successoris beati Petri et vicarii in
 “terr[is] domini Ihesu Christi, se ipsum ipsis preficiens in prelatum et ipsos sibi subiciens in
 “subiectos, novis et pestiferis doctrinis eos inficiens et corrumpens; qui multiplicati sunt
 “super numerum, adeo quod milia milium ipsum secuti sunt falsa docentem, vana promit-
 “tentem, seducentem et in errorem mittentem; contra quos diu et multum laboratum est per 10
 “inquisitores heretice pravitatis in illis partibus, cruce cum peccatorum indulgentia contra
 “ip[s]os de mandato apostolico publice predicata, et alias contra eos fidelium exercitu adunato.
 “Diu quoque ipsi restiterunt rebelles lumini, latitantes nunc in montibus, nunc in speluncis
 “et cavernis terre sicut noctue et filii tenebrarum: tandemque heresiarcha Dulcinus cum
 “multis sequacibus suis captus est in epdomada sancta in die sancto Cene, sub anno Incar- 15
 “nationis dominice inchoato MCCCVIII; fuitque cum Margarita, non tam malefica quam
 “heretica consorte eius in scelere et errore, et cum pluribus aliis sequacibus et discipulis
 “suis captus et deprehensus; fueruntque per diffinitivam sententiam et iudicium ecclesie
 “iudicati et relict[is] tanquam heretici iudicio seculari animadversione debita puniendi; et sic
 “traditi sunt ultricibus flammis deputati eterno incendio concremandi. Non tamen, ipsis 20
 “extinctis, perversum dogma ipsorum penitus est extinctum, nec ipsorum secta heretica et
 “dampnata sic succidi potuit radicitus et evelli, quin etiam germen et reliquie remanerent;
 “ex quo tanquam herbe pessime pullulantes et germinantes multiplicati sunt et creverunt.
 “Hii sunt Pseudo-apostoli, discipuli predictorum Gerardi et Dulcini, a quibus Gerardite et
 “Dulcinite nominari possunt; qui se falso dicunt Christi apostolos et paupertatis evangelice 25
 “professores, finguntque se pauperes spiritu appellari et apostolorum vestigia imitari, con-
 “fingentes quendam ordinem penitentium cuius fratres invicem se appellant; quem sancta
 “romana ecclesia, cuius est ordines confirmare, non solum non approbavit, verum etiam ut
 “sectam hereticam condemnavit. Hii sunt penitentiam simulantes, et tanquam symie effi-
 “giantes figuram penitentie dicunt et clamitant ut sepius in compitis et plateis: *Penitentiam* 30
 “*agite, appropinquabit regnum celorum*, et interdum: *Salve, Regina*, et quedam alia huius-
 “modi, ad captandum auditum et demulcendum aures audientium et seducendum corda sim-
 “plicium cantitantes, cum tamen extra unitatem et obedientiam sancte ac catholice romane
 “ecclesie, a qua ipsi precisi sunt, nulla sit vera penitentia nec salubris. Hii sunt qui non
 “intrans per hostium in ovile dominicum aliunde ascendunt et furentur et perdant et mac- 35
 “tent non tam corpora quam animas preciosas. Hii sunt vulpecule qui facies quidem ha-
 “bentes diversas set caudas ad invicem alligatas, vineam domini Sabaot, ecclesiam videlicet
 “catholicam diffusam per orbem, demoliri conantur; circumeuntes mare et aridam et occulta
 “conventicula facientes, segregantes se a communi conversatione fidelium vita et moribus
 “victu, et habitus dissidentes. Hii sunt qui pretendunt quamdam fictam et falsam exterius 40
 “speciem et ymaginem sanctitatis per quam facilius simplicibus persuadeant et seducant. Ex
 “quibus omnibus et aliis nonnullis discerni possunt a Christi ovibus per pastores ecclesie, si
 “vigiles fuerint super gregem sibi commissum et custodes solliciti. Sunt etenim lupi rapaces
 “et vestimentis ovium extrinsecus apparentes ut securius insidientur incautis et secum per-
 “trahant in baratrum secte sue suis retibus irretitos; unde expedit, immo necesse est ut contra 45
 “ip[s]os ex adverso ab omnibus Christi fidelibus viriliter consurgatur ut credentium de finibus
 “expellantur, ne sua contagione pestifera inficiant oves sanas. Horum quamplures in annis
 “proxime iam transactis ab anno dominice Incarnationis MCCC et etiam paulo ante a facie
 “inquisitorum persequentium de suis finibus fugientes in partes Hispanie transierunt, patriam
 “illam lustrare non illustrare querentes, ut ibi minus cogniti quam in suis partibus magis 50

“noceant magisque inficiant, et eo confidentius quo latentius faciant sibi similes sectatores
 “perditionis filios et gehenne. Horum nomina non pauca de libro vite nisi resipuerint deleta
 “apud nos conscripta habentur, detecta per eum in iudicio coram nobis qui vidit et audivit
 “et scivit et cum eisdem fuit ibi et alibi conversatus. Vigilate, pastores, super custodiam
 5 “gregis vestri; consurgite, fidei zelatores, ut tales qui apud vos ubilibet reperti fuerint ca-
 “pianur et diligenter et caute examinentur; et qui deprehensi fuerint exortentur et invitentur
 “ad conversionem; et si converti noluerint et reverti ad ecclesiasticam unitatem abiurata
 “penitus in iudicio secta illa et omni alia heretica pravitate, detrudantur in certum locum ad
 “penitentiam peragendam; et probetur ne simulata conversione redeant fraudulententer, et alios
 10 “ymo potius se ipsos fallantes, sub agni specie gerant lupum: requiranturque et cogantur
 “suos errores fateri suosque complices in iudicio revelare. Qui nisi examinati absolute vo-
 “luerint mandatis ecclesie obedire et abiurare heresim et sponte redire ad ecclesiasticam
 “unitatem, postquam legitime et canonicè moniti et invitati fuerint ad conversionem et ratio-
 “nabiliter expectati, communicato super hoc consilio sapientium, relinquuntur seculari iudicio,
 15 “animadversione debita puniendi secundum canonicas sanctiones. In quorum omnium as-
 “sertionem fidelissimam et testimonium veritatis, ego prefatus inquisitor sigillum quo utor duxi
 “presentibus apponendum. Datum Tholose, prima die maii, anno Domini MCCCXVI „.

Littera Roderici Compostellane sedis archiepiscopus.

“Rodericus miseratione divina Compostellane sedis archiepiscopus ac regni Legionis
 20 “chancellarius religioso viro fratri Bernardo Guidonis ordinis fratrum Predicatorum inqui-
 “sitori heretice pravitate salutem in eo qui se voluit pro omnibus immolari. — Noveritis
 “nos vidisse litteras vestras nobis et aliis prelati de Hyspania missas in generali continentes
 “quod aliquæ patrie in partibus Hyspanie erant pravitate heretice crimine irretite. Et nos,
 “visis vestris litteris, et intendentes circa ipsa que in eisdem continebantur, aliquas personas
 25 “quas tangere de huius pravitate videbamini, videlicet Bernardum cum duobus sociis et Ca-
 “num cum aliis duobus, fecimus in civitate ipsa Compostellana et per alias diversas partes
 “terre capi, et ipsos habemus nunc vinculis mancipatos; unde rogamus vos attente quatinus
 “nobis per vestras patentes litteras statim intimetis super quibus articulis debent interrogari
 “et examinari, et qualiter contra istos iam captos et contra fautores eorum procedere de-
 30 “beamus, si inventi fuerint culpabiles in tanta cecitate et in fidem catholicam aliqua prava
 “et iniqua presumentes; et nobis articulos certos et modum procedendi contra istos et contra
 “omnes adherentes et faventes eis, et contra alios si qui postmodum inventi fuerint in ista
 “radice putreda, transmittatis, quia talia in partibus nostris fuerunt hactenus insueta; sciturus
 “tamen pro certo quod nos in dei favorem et ut fundamentum fidei fundatum supra firmam
 35 “petram exaltetur, faciemus contra eos, si culpabiles fuerint inventi, quidquid secundum
 “deum de iure fuerit faciendum. Datum Compostelle, pridie nonas marcii, anno Domini
 “MCCCXV „.

Forma seu modus proprius abiurandi in iudicio sectam apostaticam Pseudo-apostolorum.

Ego talis N. de tali loco talis dyocesis, constitutus in iudicio coram vobis tali N. inqui-
 40 sitore, sacrosanctis dei evangelis coram me positus, abiuro penitus sectam illam et ordinem
 illorum qui se vocant Apostolos et sic vulgariter appellantur, quoad nomen eius et quoad
 habitum specialem, et quoad ritum vivendi eiusdem singularem a communi conversatione et
 vita fidelium dissidentem, et quoad omnia et singula in quibus a sana doctrina et a potestate
 45 clavium ecclesie et prelatorum eius in aliquo deviat aut discordat, quem ordinem iamdudum
 per tot annos tenui et servavi, et cum sectatoribus et observatoribus eiusdem ordinis con-
 versatus fui, quam sectam et quem ordinem quidam nomine Gerardus Segarelli de Parma

adinvenisse dicitur et primus iniciator eius fuisse, eandemque sectam et ordinem alter quidam Dulcinus nomine, Novariensis origine, post dictum Gerardum Segarelli cum multis sequacibus dicitur tenuisse et defendisse, quem Gerardum et quem Dulcinum ac etiam nonnullos complices eorundem et dicti ordinis sectatores audivi postmodum fuisse condempnatos tanquam hereticos per iudicium prelatorum et inquisitorum heretice pravitatis, predictosque credo et 5
reputo fuisse iuste tanquam hereticos condempnatos et dampnatos. Item, corde credo et ore confiteor esse unam sanctam catholicam ecclesiam, cui in presenti presidet tamquam vicarius domini Ihesu Christi sanctissimus pater dominus Iohannes papa XXII, extra cuius ecclesie fidem ad obedientiam non est salus. Item, abiuro et revoco omnia et singula illa que dixi et asserui dudum in iudicio in quibus aliquis error aut aliqua falsa opinio aut doctrina er- 10
ronea esse cognoscitur aut deprehenditur quoquo modo, et specialiter et expresse revoco et abiuro id quod dixeram me credere et tenere dictum ordinem Pseudo-apostolorum esse bonum et quod illi qui tenent dictum ordinem, quem prius audiveram non fuisse per sedem apostolicam approbatum, quin potius reprobaturum, possent salvari tenendo ipsum, si tamen non fa- 15
ceret peccata alia contra mandata Dei.

Item, id quod dixeram me credere quod papa romanus et prelati ecclesie et religiosi et inquisitores heretice pravitatis peccabant et faciebant iniuste persequendo dictum ordinem et observatores eiusdem. Item, id quod dixeram me credere quod sententia excommunicationis lata per romanum pontificem aut per apostolicam sedem, vel per prelatos ecclesie contra observantes dictum ordinem non ligabat eosdem. Item, id quod dixeram quod non reputabam me 20
esse excommunicatum tenendo dictam sectam et dictum ordinem, quamvis audivissem dici et crederem ita esse quod omnes tenentes dictum ordinem erant excommunicati per ecclesiam. Item, id quod dixeram quod, quando paupertas fuit mutata et sublata ab ecclesia tempore sancti Silvestri, vite sanctitas fuit ablata et subtracta ab ecclesia et dyabolus intravit in so- 25
cios sancti Silvestri et postea in hunc mundum. Item, id quod dixeram quod papa romanus aut prelati ecclesie non possunt iuste prohibere per sententiam excommunicationis quod nullus dictum ordinem teneat et observet et quod tali prohibitioni aut sententie non est obediendum. Item, id quod dixeram esse duplicem ecclesiam, videlicet spiritualem que est in hominibus qui vivunt in paupertate perfecta et in obedientia spirituali ad deum solum et 30
non ad aliquem hominem, et carnalem que est illorum qui carnaliter et in deliciis carnis vivunt sub obedientia hominis.

Et confiteor unam tantum esse ecclesiam in qua sunt tam boni quam mali. Item revoco et abiuro opinionem erroneam quam aliquando habui et tenui, credendo quod iurare in iudicio et pro veritate dicenda erat illicitum et peccatum, et credendo quod omne iuramentum indistincte esse prohibitum a deo tamquam illicitum et peccatum. Et confiteor me credere 35
quod licitum sit iurare pro veritate in iudicio asserenda secundum quod sancta romana ecclesia tradidit et instituit et observat. (*Consimili modo exprimantur, si aliqui alii errores seu articuli erronei fuerint abiurandi; et in fine concludatur in hunc modum abiuratio generalis*).

Item ego prefatus talis abiuro penitus heresim et errorem extollentem se adversus sanctam romanam ecclesiam et apostolicam sedem et fidem domini Ihesu Christi, et omnem favorem et 40
participationem et defensionem et credentiam hereticorum cuiuscumque secte dampnate et specialiter et expresse secte illorum qui Pseudo-apostoli nominantur, sub pena que de iure debetur relapsis in heresim in iudicio abiuratam. Et promitto et iuro me tenere fidem quam sancta romana ecclesia predicat et observat. Item, promitto et iuro me pro posse meo persequi et detegere aut revelare et facere capi et reddi inquisitoribus heretice pravitatis here- 45
ticos, etc. (*Require alibi; scribatur in hoc loco....*).